B. N. C.
FIRENZE
1059
10

MISCELLANEE
BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1059
10

XXX
VITEK
1059. 10

Excellentiſsimi

ARTIVM, ET MEDICINAE DOCTORIS, SACERDOTIS INTER HEBRAEOS,

Iſach Viterbienſis

CONSILIVM

In cauſa præcedentiæ pro Florentinorum, & Senenſium Duce, contra Ducem Ferrarienſium.

Editum ſub Anno M D LXVIII.

FLORENTIAE
APVD IVNTAS
CVM LICENTIA, ET PRIVILEGIO.

ILLVSTRIS.mo ET EXCELLENTIS.mo
COSMO MEDICI
Florentinorum, & Senenſium Duci.

Iſach Hebræus Viterbienſis humilis Seruus.
S. P. D.

CVM nihil Mortalibus præter Dei Maximi voluntatem contingere videatur, Princeps optime ac præſtantiſs. nemo ſanè vnquam dubitare debet, quin Regibus aliiſq. Principibus (id quod hominum ſocietati plurimũ conducit) mẽs ipſa diuina populos, & regendi, & gubernandi poteſtatem deferat; ſuæquè quandam, velut imaginem adminiſtrationis vniuerſę noſtris oculis proponat. Itaquè ſecũdùm Deum potentiſſimos proximè Principes & uereri, & ſumma colere obſeruãtia debemus: illoſq; eò maiore pietate, & reuerẽtia proſequi nos oportet, quò magìs tũ amplitudine Imperii, rectè què Reip. adminiſtrandæ ſcientia, tum ſplẽdore ſummarum virtutum cernimus aliis omnibus excellere. Quamobrem cùm his proximis diebus intellexerim quendam Hebręum Ferrarienſem Ducis Principis ſui partes non nullis ſcriptis tueri conatum eſſe, viſa mihi eſt offerri facultas, vt ipſe Hebręus noſtro pariter Princípi, & ſanctum, & pium, quantũ in me ſit, officium Hebræorum exemplis, etiam præſtarem. Accipe igitur Princeps optimè, atque in his regioni

bus quoddam veluti numen diuinum; in aliis verò ſingulare virtutis exemplum, noſtras haſce defenſiones, eo planè vultu, atque animo, quo ſummus, & optimus Deus exigua mortalium, vel infimorum munera ſolet excipere: cui quidem, & ſi nihil eſt opus rerum humanarum, ea tamen videtur non perindè ingrata exiſtimare: cùm ex illis ſanctiſſimis pietatis in ſe noſtrę ſymbolum (ſi fas eſt ita loqui) hoc etiam officii genere proſpicere quidem velit. Vale, Feliciſs. que ſis. Senis v i i i. kal. Decembris.

M. D. L. V I I I.

QVanquam complures doctiſsimi uiri, inducti quidem illi partim ſingulari quodam in ſuos Principes ſtudio, partim oſtentandi uel ingenij uel doctrinæ cauſa, multa ſcripſerũt in eam quæſtionem, quæ iam fuit inter Illuſtriſsimos, & Excellētiſsimos Florētinorum & Senenſium, & Ferrarienſium, Duces, excitata de præſtantiori dignitatis gradu, atq; uter eorum uel in congreſſu uel in conſeſſu uel quolibet alio modo præire debeat, ego tamen ductus ueritate ipſa potius, q̃ ulla quauis cauſa duxi hac in re, quid ſentiã minime tacendum eſſe, colligens quicquid Doctores antiquiores hebræi in ſimili materia ſenſerint: ut ſiquid fortè ex ipſorum ſentētia contrà ueritatem à nonnullis fuerit ſcriptum, id uarijs hominum opinionibus contigiſſe uideatur: quot enim (ut aiunt) ſunt capita, tot ſententiæ nõ autem aliqua Auctorum culpa, ſed ut rem ipſam aggrediar, breuitatem ſecutus, maximum mihi, & præcipuum fidei, qua Princeps eſt complectendus, fundamentum uidetur eſſe, ut ipſe à Populo, & honore afficiatur, & quàm maximè timeatur, ita, ut dicant Principem licèt præmodeſtia, ſummaq; animi benignitate locum cedere alicui uoluerit, uel parcere ijs, qui debito ipſũ ſtudio, & honore nõ proſequuntur, id tamen nullo modo efficere poſſe, Illud tamen quod de Agrippa Iudæorũ Rege iactatum eſt, cum ipſe fortè in itinere obuiã factus ſponſæ cuidam, cui, honor (more maiorũ) ab omnibus haberi debet, de uia ceſſerit, Regem ipſum excuſant, dum inquiunt, eum in biuio conſtitutum, in alteram uiam iter deflexiſſet, ipſe uiſus fuerit magis arbitrij ſui ratione id effeciſſe, quàm ut ſpõſæ cederet, eamq; honore afficeret. Doctores ſcripti auctoritate id confirmarũt, cum dicitur Conſtitues ſuper te Regẽ quaſi diceret, Regis timor tibi dominetur, & Doct. Cabaliſtæ, qui ſingula creata ſingulis ſupremis increatis uirtutibus tribuunt: dicunt quod uirtus illa, cui Rex ſubijcitur, eſt quæ ab ipſis, & regnũ appellatur, quæ ex duobus ſempiternis bracchijs,

Trac. de Contrae dotal. cap. 2.

Deut. cap. 18.

i.deſt ex fortitudine, & charitate ſibi uires acquirit, at potior
eius receptio à fortitudine eſt, quæ etiam ignis magnus, & rigo-
roſa iuſtitia, & pauor dicitur ſecundum ergo illud ſupremum re-
gnũ cui timor maxime debetur, Rex ſe ſe gerere debet; at uerò ne
Deut. ibid. â clementia nimis diſtrahatur cautum eſt, ne eleuetur cor eius ſu
per fratres ſuos in ſuperbiã, ſed in ipſo illæ duæ uirtutes reluce-
re debêt, fortitudo ſcilicet ex qua iuſtitiæ zelus in eo accêditur,
& propterea timeatur, & charitas ex qua clemẽtiam acquirit,
& ſuos populos amet, & licèt altera alteri harum uirtutũ, quæ
a regno ſupremo defluunt, aduerſari uideatur; fit tamen in Re-
gè quædam diuina conciliatio, & ciuitati omnia bene ſuccedunt,
& natura ipſa, ſi recte animaduertimus. Apibus talem forma
Plat. in lib. de reg. uit Regem, ut ſtatim, à principio tam corporis, quam animi ha
bitu ceteras antecelleret, & ſic toti agmini formidoloſus eſt, &
reuerentiâ dignus; aculeo uerò priuatus eſt ſua iracundia, &
fortitudine inermi relicta, ut clemens in ſuos ſemper appareat; à
Lib. de clem. quo forte exemplum capere turpe non eſt, ut Seneca aſſerit: pa-
tet ergo quod niſi Rex uelit uirtuti illi ſupremæ cui ſubijcitur, de
trahere non poteſt, iure non timeri, nec parcere ijs, qui ipſum ho-
nore nõ proſequũtur, ut dictũ eſt, & etiam propheta debet adire
Regem, & eum adorare; dicitur enim. Adit Nathan prophe
ta, cumq; introiſſet in conſpectu Regis, & adoraſſet eum pronus
in terram dixit, & reliqua; Sacerdos etiam maximus cum libe-
4. Reg. cap. 1. bat Regem adire poterat, & ſtare, & ſurgere ante ipſum, cũ
ad ipſum Rex ingrediebatur & curare, ut ſupremo ſolio ſede-
ret, & licet ſcriptura dicat, cum de Ioſue Principe futuro loqui
Rab. Moiſys. tract. de reg. c. 2. tur, & coram Eleazzar ſacerdote ſtabit, & reliqua; ex quo
colligi uidetur principem ſtare debere, non autem ſedere ante
Pontificem, ne hoc eſſet opinioni ſuperiori contrarium; ſcriptum
illud ita interpretantes reſponderunt, eo in loco Regem per Sa
Num. cap. 27. cerdotem Deum Maximũ cõſulere uoluiſſe: quapropter, quic-
quid honoris à Rege exhibitum fuerit, nõ id pontificiæ dignitatis
cauſa contigiſſe, ſed Dei omnipotentis, qui tunc conſulebatur, cui
Deo ſubiecta omnia eſſe debent: Sacerdos uero, (ut dicitur) dũ
Phi. in uita Moyſ. ſacrato ſeruitio incumbit, non ſolum priuatis hominibus, ſed om-
nibus Regibus terræ ſuperior eſt: propterea tollerari uidetur,
ut Rex legis doctoribus aſſurgat domi apud ſuos familiares nõ

pœnitus Regiam perſonam gerens, ſed cum in conſpectum uniuerſæ Ciuitatis prodit, illud iure defendi nō poteſt, cū Rex talis eſſe debeat apud populū, qualis eſt ſummus Deus apud omnia, quæ à ſe creata ſunt, idcirco ſolium Regis, ſolium Dei appellatur, ut ſcribitur, Seditq; Salomon ſuper ſolium Dei, in Rege pro Dauid Patre ſuo, & ſcriptum prouerbium Timorem Domini, & Regis parem ſtatuit, cū inquit Time Deum fili mi, & Regem. Idipſum Plato ſentire uidetur, cum Regiam gubernationē tractat, quæ omnibus alijs præferri iure optimo debet, uerba ipſius hæc ſunt, Illam ab omnibus alijs gubernationibus nō aliter, quàm ab hominibus Deum ſecernere decet, & reliqua, Sunt ergo Reges maximo afficiendi honore, & à Populo tāquàm Dij timendi, & antiqui Reges deos appellabāt, ſic enim ſcripſit Lactātius Firmianus Nō eſt dubiū quin illis tēporibus homines Regē ipſum, totamq; gentem ſummis laudibus, ac nouis honoribus iactare cœperint, ut etiam Deos appellarent, Nec differe uidetur habita poteſtatis ratione, an Princeps Rex appelletur, an alio nomine dominium præferente, cum uideamus lege cautum eſſe, ſupplicio capitis puniri, qui Regi obtemperare noluerit, ut de Ioſue ſcriptum eſt, Qui contradixerit ori tuo, neq; obedierit in cunctis ſermonibus, quæ ei præceperis, morietur, & hac lege puniuit Gedeon homines, Succoth, & Penuel, quia noluerunt ſuis uerbis obedire, li et nō Rex, ſed ſolummodo Iudex appellaretur: nem o igitur inficiari debet Regis poteſtatem, & gloriam in cetera omnia dominari: dubitari tamen poterat, cum multi eſſent Reges, quem potiſſimum præire oporteret, ut eo tempore quo duo erant in Populo Reges, uter eorū dignior haberetur, ſed paulò poſt de hoc ſermo erit in recēſendis rationibus pro utraq; parte: de re, de qua nunc agitur, prænotare tamen breuibus inſtitui cauſas, ob quas homo homini præſtare uidetur, & anteire debeat. Primo ſi nobilior, dicebat enim Ariſt. Nobilitas autē apud omnes in honore habetur, & Ideo Naaſſon filius Haminadab Dux tribus Iudæ inter omnes alios Duces fuit primus in oblatione, & pariter cū mouebātur caſtra, erat primus qui ordinē ducebat, quem omnes ſequebantur, cauſa enim fuerat quoniam erat Dux illius tribus, quæ ceteris præſtabat nobilitate, ex qua eligi Rex debebat, de quo uaticinatus eſt pater Iacob dicens Non auferetur

Paralep. primo. c. ult.

Prouerbi c. 24.

Lib. de regen.

Lib. pri. de fals. reg. c. 15

Iudic. cap. 8.

Polit. 3. cap. 8.

Num. cap. 7.

Num. cap. 2.

Gen. c. 49.

tur ſceptrũ de Iuda, nec Dux de femore eius; & Doct. cum cõ
T. ... benedictionũ. *ſultarent de Principe eligendo, noluerunt admittere Rabi Ha*
chiua, quem forte omnium ſui temporis ſapientiſsimũ: & ſenem,
dicentes non habere parentum dignitatem, & elegerunt Rabi
Heleazar Ben Hazaria iuniorẽ quia ab Eſdra originẽ tra
hebat; Secũda cauſa ſi pluribus dominaretur, dicebat enim Sala
Prouer. c. 14. *mon in multitudine Populi gloria Regis, & in paucitate ple-*
bis ingnominia Principis. Tertiô ſi quis fuerit prius electus à Do
In fin. tract. ... ſen. *mino, & sãctior factus, ut diuino cultui præeſſet, et ideo dixerũt;*
Qui eſt magis ſanctificatus præcedit alios, & ideo ſacerdos leui-
tã, & leuita Iſraelitã. Quartò ſi ſapientior fuerit, & ideo affir
Eccl. 4. *marũt doctòrem, & ſapientem in omnibus præcedere, ut ſcriptũ*
eſt, Melior eſt puer ſapiens, & pauper, Rege ſene, & ſtulto.
Prouer. c. 14 *Quintô ſi ditior, diuitiæ enim honorabilẽ hominẽ reddũt, gloria ſa*
pientũ diuitiæ ipſorũ. Sextô ſi ſenex, ſenectus ſemper apud omnes
digna honore habita eſt, ſcriptũ enim eſt Corã cano capite ſur-
Leuit. c. 19. Prouer. c. 16 *ge, & honora perſonã ſenis, & alibi Corona dignitatis ſenectus,*
& alibi, Adoleſcẽtes ſubditi eſtote ſenioribus, Virtutes etiã,
Prima Epiſt. Petri. c. 5. Malach. cap. 1. *& pulchritudo, & multa alia huiusmodi poſſent eſſe cauſa digni*
tatis, qua alter alteri præſtare debeat, deuictusq; eſſe poſsit,
nam debemus præceptoribus, parentibus, & dominis; dicebat
enim Propheta; Filius honorat patrem, & ſeruus Dominum ſu-
um, Præceptores patres uocantur, ut in tota ſacra pagina, de
dominis uerò, & Principibus ſuſpicari nõ poſſumus, ut ex ſupra
dictis patet: hæc nõ ob aliam cauſã à me fuerũt collecta quàm ut
oſtenderem quantæ curæ etiã fuiſſet antiquiſsimis Hebræis, ut
proprius dignitatis locus perſonis tribueretur, & præcipue Re
gibus ipſis, & dominis, pro quorum honore ſummopere quisq; niti
debet, multumq; laborandum eſt, ne aliquid ex eo detrahatur;
nõ mirum ergo uideri debet, ſi tot, & tanti Excellentiſsimi Viri
de primo gradu honoris ſuorum Principum talem diſputationem
ſuſceperint, ut quiſque partes ſui Principis tueretur, & primum
locum, & digniorem illi iure conuenire demõſtraret, eiuſq; cau
ſam omni contentione defenderet, & licèt aperte uideam nullum,
uel minimum locum huic diſputationi eſſe relictum non nihil tamen
ipſe, licêt infimus, ut ſupra dixi, ex ſententia Doct. Hebræorũ
in medium uolui afferre, & oſtendere rationes, & argumenta

utriuſq;

*utriuſq; opinionis: deinde ueriores partes tueri, atq; alterius opi-
nionis rationibus reſpondere.*

*Pro Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Ferrariæ Duce, ut
præire debeat, complures aſſeruntur rationes, Primo Ferra
rienſem principatū Florentino multó amplius uetuſtate præſta-
re, antiquitas ipſa in omni dignitatum genere multum plane
ſpectari debet, cum inter ſacerdotes, iuriſconſultos, & alios
antiquior ſemper præcedat, & Reges Domus Dauid emi-
nentiores Regibus Iſrael habebantur, eô quód principatum* Tract.
antiquius poſſidere cœperint, Dicunt Doct. quod non dabatur ſentent. cap. 2.
alicui, ut in templo ſederet, niſi Regibus domus Dauid, ſic 2. Reg.
enim ſcriptum eſt, Et uenit Dauid, & ſedit coram Domino. Tract. ſentent.
& addiderunt nimiam ſuperbiam, qua Ioroboam erat prædi c. vlt.
*tus effeciſſe, ut in peccatorum uoraginem ruerit; erat enim inſti
tutum, ut in templo non ſederent niſi Reges domus Dauidicæ,
& ideo dicebat Ioroboā, Si populus uiderit me ſtantem, Robo-
am uero in templo ſedentem, dicet iſte eſt Rex ille autem ſer-
uus: ſi ſedero, arbitrabitur me rebellem eſſe, & occidet: ſtatim
ſuos principes conſuluit, & duos uitulos aureos conflauit, Re-
ges ergo Dauidici generis quia uetuſtiores præibant alijs Iſra
el Regibus, & cum tempore principatus Raban Gamlielis ali
us cōſtitutus fuerit Princeps ut ſimul duo principes eſſent: præi* Tract.
bat tamen Rabam Gamliel: quoniam ex quattuor hebdomadibus bened.
*tribus ipſe præerat: Rabi Heleazar uero, qui Dux nouus e-
rat, una tantum.*

*Secundo quia ex nobiliori, ut aiunt, familia originem ducit,
antiquiores ſunt ipſius opulentiæ maiorum etiam ſuorum uirtu-* Quinto
tes, in quibus duobus nobilitas plurimum ſpectatur, ſunt uetuſtio polit. c. 1.
*res, Philoſopho ſic dicente, Videntur nobiles eſſe illi, quorū maio
res uirtute, & diuitijs præditi fuere, & cum nobilitas ipſa apud
omnes in honore habeatur, ut ſupra dictum eſt: reliquum eſt, ut
nobiliores priorem ſibi honoris locum iure uendicare uideantur,
in Magiſtratuum deſignatione id etiam apud Hebræos ſeruatū* Deut.
eſt, ut ſcribitur. Tuliq; de tribubus ueſtris ſapiētes uiros, & nobi c. 1.
*les & conſtitui eos Principes ſuper uos; & ut ſupra prænotatū
eſt, Prætulerunt Rabi Heleazar iuniorē ipſi Rabi Hachi-
ua ſeniori, & doctiori, quia ille ab Eſdra ducebat originem, iſte*

ueró uirtute generis carebat.

Tertio quoniã dominatur multis celebratiſſimis Principibus, & Comitibus, nã qui nobilioribus ſubditis præeſt ipſe, æquè nobilior haberi debet: dicebat enim Rex Aſsyriæ apud Eſaiã dum
Eſa:c.10 *gloriaretur, Num quid Principes mei ſimul Reges ſunt?*

Quarto per Pontif. max. & Imperatorẽ in ſuã poteſtatẽ, & dictionẽ fuit productus, idcirco eius imperiũ nobilius eſt habendũ: uolũtas enim Principũ maiorẽ hominũ dignitatẽ reddit, ut di-
Eſter.3. *citur Poſt hæc Rex Aſſuerus exaltauit Amã, & poſuit ſoliũ eius ſuper omnes Principes: & Ioſue fuit dignitate, & principatu à Moiſẽ donatus, eodẽ modo in poſterũ Reges à Prophetis.*

Quinto quia multæ dignitates diuerſorũ nominũ in ipſum redũdant, cum Dux, Marchio, & Comes appelletur, nemoq; inficiari poteſt, quin duo bona maiore ſint, uno in illis duobus cõtẽto Sacerdos enim & ſapiens præſtabat ſacerdoti tãtùm, uel ſoli ſapiẽti apud Hebræos; & quia bis, uel ter Dux appellatus eſt, & hoc ſplendido nominẽ ſæpe decoratus fuit, non ſemel tantùm.

Sextò Dux Florentiæ, ut Dux, dignior nequaquàm eſt Duce. Ferrariæ ob ſupradictas rationes: ſi autem, ut Caput, ſiue Princeps Florentinæ Reip. pariter minime poteſt, cûm Oratores, ut aiunt, Rerum publicarũ, cedant Ducum Oratoribus apud Pontificem, & Imperatores. Hæ ſunt rationes ſiue argumenta, quibus complures partes Ferrar. Principatus defendunt, ipſumq; nobiliorem longẽ reddunt, quàm Florentinum.

Licet hæc ita ſe habeant, tamen pro Florentino, mea quidem ſententia, & ueriores ſunt rationès, & multô magis firma argumenta, quemadnodum patebit. Prima ratio eſt, Ille qui maiori, nobiliori, & ditiori prouinciæ præeſt, eſt eo dignior, cuius fines ſunt anguſtiores, ſtatusq; alijs gradibus eſt inferior: non eſt enim Rex nomine regio appellandus, niſi ad regni ſui rationem referatur. ſi æquale autem eſt, cauſa æqualis, maius maioris erit cauſa, & maximum maximi: amplior ergo ditio amplio-
c. Top. *rem Regem facit, & dignior dignîorẽ: Magnitudo Prouinciæ, & Populi ſuum Principem maiorem, & magis glorioſum reddit: Scriptũ enim eſt (ut ſupra notauimus) In multitudine Populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis: & Ieremias flens Ieroſolimam, ut oſtenderet dignitatem iam deperdi-*

tam,

tam, dicebat, Quomodo ſedet ſola ciuitas magna Populo; & in- Term. Hyeré. cap. 1.
ter Reges Iſrael Achab, qui decẽ dominabatur tribubus præ
ferebatur ipſi Ioſaphat Regi Iudæ, qui tantùm dominabatur
duabus tribubus: & ſimiliter Ioram ipſius Achab filius præibat
Ioſaphat Regi Iudæ, ſcriptum enim, Achab Rex Iſrael, &
Ioſaphat Rex Iudæ ſedebant unusquiſq; in ſolio ſuo, ueſtiti cultu
regio, & infra, Et Aſcendit Rex Iſrael, & Ioſaphat, &
alibi de Ioram loquendo, & præceſſerunt Rex Iſrael & Rex 3. reg. cap. 22.
Iudæ, quia ergo Reges Iſrael pluribus dominabantur, & maius 4. reg.
nacti fuerant Imperium, priùs nominabantur, & præire permit
tebantur; ſemper in ſcriptura obſeruatum eſt, quòd qui dignior
habetur, priùs nominatur: ſcriptum enim eſt, quod Iacob uolens
quod Ephrain minor Ioſephi filius præcederet Menaſſem maio- Gen. c. 48.
rem, & primum genitum, cùm illis benedicere intendebat, poſuit
dexterã ſuam ſuper caput Ephraim; ſiniſtram uerò ſuper caput
Menaſſe, quod cùm Ioſeph cuperet corrigere arbitrans patrẽ
errore ductum præpoſuiſſe minorem filum primogenito, renuit
ſenex dicens, Scio fili mi, ſcio, iſte quidem erit in populos, & mul
tiplicabitur: ſed frater eius iunior maior erit illo, & ſemen eius
erit plenũ gentibus: & benedixit eis in tẽpore illo, dicens In te be
nedicetur Iſrael, atq; dicitur Faciat tib Deus ſicut Ephraim
& ſicut Manaſſe, & poſuit Ephraim ante Manaſſe; Ex quo
duo, quæ ad rem noſtram faciunt, collige, Primum quòd neque
nobilitas primæ geniture, quam Antiqui pluris faciebant, nec
ætas maior perſpecta eſt à Propheta ubi per multitudinem gen-
tium iunior frater excedere maiorem fratrem debebat: & ſecun-
dum, quod ex hoc colligitur, eſt, ſi quid prius nominetur dignio
rem amplitudinem ſignificare, quia poſt uerba Prophetæ dicen-
tis Faciat tibi Dominus, ſicut Ephraim, & ſicut Manaſſe, ad-
ditur in ſcripto, & poſuit Ephraim ante Menaſſe, quaſi diceret,
poſtq; uidimus Iacob in nominandis fratribus illis præpoſuiſſe E-
phraim fratri maiori, debeat ergo minor tanq; dignior præiſſe;
Et alibi nominantur Moyſes, & Aharon fratres eodem fe-
rè uerſu alter prior altero. Sic enim ſcribitur, iſte eſt, &
Aharon & Moyſes, quibus præcepit Dominus, ut educe- Exod.
rent filios Iſrael de egipto; ipſe eſt Moyſes & Aharon, quod cap. 6.
quidem factum eſt, ne ex una tãtùm denominatione, in qua neceſſe
erat

*erat, alterum alteri præponere, exiſtimaretur, quôd in dignita-
te ſe mutuô excederent, & ideô, ut quilibet primo loco nominare-
tur, tanquam pares, iterum eos alio ordine nominat, uel pri-
mô nominauit Aharon tanquam maiorem natu, & ut digmo-
rem locũ Moyſi daret, nê ex illa prima denominatione Aharõ
præpoſitum tanquam digniorem arbitraremur, nominat eos præ
ponens ipſum Moyſem Prophetam maximum, & Deo magis ad-
dictum, & ſemper poſtea prior nominatur, præterquàm cûm
de ortu eorum loquitur; bis tamen in ſcriptura, non ampliûs, quod
Eſr. 2. cap. 9. ſciam, nominatur prius minus dignum: primô, apud Eſrã ſuper
omnibus his nos ipſi percutimus fœdus, & ſignant Principes no-
ſtri, Leuitæ noſtri, & Sacerdotes noſtri: ubi præponuntur
Leuitæ Sacerdotibus: & ratio potuit eſſe, quia in fœdere illo
pepigerunt de muneribus dandis Sacerdotibus etiam à Leuitis,
nè Sacerdotes uiderentur nimis propriam utilitatem appetere,
Paralip. 2. c. 30. eamque nimia auiditate quærere, nominantur in ſubſcriptione illa
poſteriores: Secundô Paralip. eodem modo Leuitæ præferũ-
tur, Leuitæ quoque, & Sacerdotes per organa, & cet. & ra-
tio talis aſsignari poteſt, quòd in ſolẽnitate illa impigriores muẽti
ſunt Leuitæ Sacerdotibus, ut paullô ſupra ſcribitur, Leuitæ
promptiores erant corde, ut ſanctificarẽtur, quàm Sacerdotes:
Ibi. c. 29. In omnibus uerò hoc ſeruatũ uidetur, quôd priûs, quod dignius
eſt, nominatur; ſi ergo Reges Iſrael priùs ſcriptum nominat, po-
tiores erant eorum partes, & digniores habebantur: & nulla
alia ratio aſsignari poterat, quâm latiores Imperij fines, & di-
tio extentior, cúm minus nobiles, & noui Reges eſſent, & ideò
Ioas Iſraelis Rex paruifaciebat Amaziam Regem Iudæ, qui
4. Reg. cap. 14. nuncios ei miſerat, ut conuenirent, & ſe in inuicem inſpicerent
forte in aliquo certamine dicens, Carduus Libani miſit ad Ce-
dron, quæ eſt in libano; da filiam tuam filio meo uxorem, & reli-
qua. Maior ergo ditio maiorem Regem facere uidebâtur.*

*Nobilitas peritur ciuitatis ſuum Principem maiori bonore di-
gnum reddit; ex regno enim maxima ducitur nobilitas; ex nobilio-
ri Regno maior nobilitas naſcitur; ſi eſt æquale æqualis, et maius
Saluſt. in Catelin. maioris erit cauſa, ut ſupra dictũ eſt: & ideò putabãt Antiqui
maximam gloriam in maximo imperio ſitam: & quis dubitat
quôd qui aliquam nactus ſit dignitatem in ampliori, uel nobiliori*

loco,

33558506